

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
ab Ad-||uentu vsque ad Festum Pascæ in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

DE SANCTO MATHIA APOST. EVANGELium Matthaei. II.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150424

lis, siue vtatur vtroque. Hoc modo nobis lumen nostræ extinguit fidei. Sollicitè ergo magis laborandum, vt hoc lumen custodiamus & seruemus. At contra huiusmodi Satanæ tela, hoc optimum, vt cū Ezechia obturemus aures nostras, nec illius suggestionibus locum demus, sed ad Deum festinemus, huic nostra negotia committamus, vt idem Ezechias. Ante omnia autem vt cum Simeone Christū apprehendamus. Huic adhærentes, nihil in nobis potestatis habebit malignus spiritus, tentet licet, omnemque moueat lapidem, ac ipsa etiam peccata nostra repetens, Dei iram incoleat. Ille enim abstulit peccata nostra, nosque reconciliauit **DEO**. Meritò ergo cum Simeone latamur & exultamus, hunc nos superstites vidisse diem, in quo **DEVS** Pater talem demisit saluatorem. Præstet igitur in nobis diuina gratia, vt hoc saluatore piè vtentes cum Simeone æternam percipiamus salutem, Amen.

DE SANCTO MATHIA APOST. EVANGELIUM Matthæi. II.

IN illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem nouit quis nisi filius: & cui voluerit filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.

o EO-

POSTILLA E. IOANNIS FERI
EODEM FESTO EPI.

stola Acto. 1.

IN diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hominum simul ferè centum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit spiritus sanctus per os David, de Iuda, qui dux fuit eorum, qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus erat sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Hierosolymis, vt appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldema, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his qui nobiscum sunt, congregari in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioannis vsque ad diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Mathiam. Et orantes dixerunt. Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaticatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cū vndecim Apostolis.

DE

DE SANCTO MATHIA PRI-

*mus sermo: Habet collationem Euangelij**& Epistolæ, deinde annexam S. Ma-**thiæ Historiam.*

Non incongruè factū reor, vt hoc festo in Ecclesia de electione Mathiæ historia huiuscemodi addatur cōsequenter Euangelio. In ea enim historia, quam epistolæ vice legimus, Mathias nobis exhibetur Apostolus. Primum tanquam discipulus Christi, deinde etiam vt Apostolus eiusdē. Tum etiā quod reliquū est, de vitæ illius historia ostēdit martyrem seu testē fuisse Christi: talis omnino testis, qui pro Christi testimonio sanguinē suum non dubitauerit effundere. In quibus tribus nostra omnis constat perfectio. Altius enim quā diu hic reptamus non datur ascendere. Beatum planē discipulū Christi esse: beatius discipulum & Apostolū: beatissimū verō, & discipulum & Apostolū & martyre esse. Talis ergo Mathias erat, in his tribus ille nobis proponitur hodie, eaq; omnia de eo ostēdi & testificari possunt. Quod enim ab exordio discipulus fuerit, Petrus ostendit, cum ait Iudā ab Apostolatu præuariatū fuisse ideoq; aliū eligendum, sed ex ijs viris, qui cum Christo fuissent à baptismo Ioannis vsque dum assumptus esset in cœlum. Hæc ergo clarissimè testantur, Mathiam ab initio fuisse discipulum Christi: eiusmodi enim non alium Petrus in Iudæ locū subrogari voluit. Nec immeritò: Quia enim Apostoli constituti erant, vt testificarentur de omnibus quæ Christus in terris loquutus esset, fecissetq;: & vos testes mei eritis in Iudæa, & in Hierusalē, vsq; ad vltimum terræ: ideo necessum erat ab initio illi adfuisse. Necessē enim est testis certò sciat ea quæ testatur, talisq; omnino sit, qui minimè possit reiici, qui iustus, et æqui bonique amicus sit. Quæ omnia indicant, iam non nouum Mathiam Christi fuisse discipulum, sed iam tum ab initio cum alijs domini discipulis & Apostolis conuersatum. Quod verò Apostolus, ipsa ostendit electio, magna deuotione per Apostolos cæterosq; discipulos facta. Tum vitæ suæ historia testatur fuisse & Martyrem, eiusmodi qui non verbis solum, verumetiam sanguine suo Christo testimonium perhibuerit.

- Tria quib⁹ vtiliter quilibet Christian⁹ occupari possit hodie. Danda profecto opera, vt vel infimum gradum tantum si non datur vltra, attingamus: & si non Apostolus, si non martyr, genuinus tamen Christi Domini sit discipulus. In hoc, in qua, quisque fidelis incubat quam poterit diligentissime, vt is sit vere, qui dicitur, verus discipulus Christi. Quod si necdum es, fac sis. Nō enim hęc vita nostra perfecta iustitia est, sed magis quotidiana iustificatio & ad veram iustitiā conatus quidam. Nō ipsa perfectio, sed perfectionis labor & studiū. Id quod
- Phil. 3. Paulus de seipso testatur: Nondum inquit, fratres, me assequutum arbitror. Vnum autem illud ago, ea quæ à tergo sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ a fronte sunt, enitens. Hęc ergo diligentia, hic conatus in omnibus nobis conspicuus considerari debet, ridiculum alias Christianum dici, & vel Christi doctrinam nescire, aut illi ipsi doctrinæ vita repugnare. Nemo enim est, quem non puderet vel Platonis, vel Mosi dicier discipulum, & ea ignorare quæ vel Plato vel Moses scripserint, multoque minus ijs reludari vita. Si ergo tanto nisu mundi huius filij perquirunt Sapientū illius gentis scripta & paradoxa, quæ sapenumero stultitia sunt coram Deo: si
- Heb. 10. tanta pertinacia Iudæi Mosi Legi inhærent, quæ tamen ymbra tantum futurorum erat: quid nobis faciendū, qui in luce & veritate ipsa sumus? Sed tria sunt quæ recte discipulū Christi deceant: Christum nosse, huius mandata implere, eaque ipsa alios docere. Quæ tria etiam in
- Psal. 50. David videmus, cum dicit: Occulta & abscondita Sapientię tuæ manifestasti mihi. Deinde: Domine, doce me facere voluntatem tuam. Et iterum: Viam mandatorum tuorum cucurri. Tertio: Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Docbo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.
- Primum dixi, Christianum decere agnitionem Dei & Christi Iesu: & hęc quidē agnitio non solū initium, verumetiā finis est, & perfectio nostræ Religionis, ipso
- Ioan. 17. Christo attestante: Hęc est vita æterna, vt agnoscant te solum, & quē misisti Iesum Christum. Sic enim in Hieremia etiam loquitur Deus: Non gloriatur Sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non

& non gloriatur diues in diuitijs suis: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, Scire & nosse me: quia ego Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Iam verò Deum nemo nisi in & per filium agnouerit. Quemadmodum ipse Christus ait: Nemo nouit *Matt. 11.* patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et: Pater, *Ioan. 17.* manifestauit nomē tuū hoībus. Et iterū: Qui videt me, *vi Ioan. 14.* det & patrem meū: quia ego in patre, & pater in me est. Ne *Ioan. 1.* mo Deū vidit vnquam: vnigenitus nobis manifestauit.

Hinc ergo Christus facies Dei dicitur. Vt Dauid: *Psal. 79.* Ostende nobis faciem tuam; id est, Christū promissum, & saluērimus. Hac ipsa ratione & Paul⁹ Christū splē- *Heb. 1.* dorem gloriæ, & expressam imaginem substantiæ Dei nominat. Qui ergo Deum videre & agnoscere vult, ad Christum properet. At nostris temporibus non nisi per verbum suum agnoscitur Christus: nec verbum intelligimus nisi per Spiritum sanctum. Ideoq; discipulis suis dicit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo. Paracletus autem spiritus sanctus quem *Ioan. 16.* mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia.

Et hoc quidem Deus in veteri testamēto promiserat, *Ezech. 36* quod constituto tempore spiritum suum velit effundere super omnem carnē, vt se agnoscerent à minimo vsq; ad maximum, & omnes essent à Deo docti. Hæc ergo agnitio fides nostra est, qua dicimus, Credo in Deū patrem, & in Iesum Christum, & in Spiritum sanctū. Hæc fides nostra fundamentum salutis nostræ est. Quomodo enim inuocabimus Deū, in quem non credimus. Et hoc *Rom. 16.* quidem primum quod discipulum Christi deceat.

Secundum, Christi mādāta implere seu obseruare. Sic *1. Ioan. 1.* enim Ioannes ait: Si dixerimus quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, metimur, & veritatem non facimus. Quod si in luce ambulamus, sicut ipse in luce est, societatem habemus. Et: Per hoc scimus quod cognouimus Deum, si mandata eius obseruamus. *1. Ioan. 2.* Ex mox: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille *1. Ioan. 3.* ambulauit & ipse ambulare. Et iterum: Omnis qui peccat (puta pertinaciter) nō vidit eum nec cognouit eum. Et Christus ipse: Vos amici mei eritis, si feceritis quæ *Ioan. 15.* præcipio vobis. Et rursus ad quosdā: Quid me dicitis *Luce. 6.*

Domine domine, & non facitis ea quæ dico vobis? Vides ergo his similibusque dictis, quod non sufficiat in Christi discipulo, Christum agnoscat, verumetiam vt illius obseruet iussu. Et hoc quidem secundum.

Tertium quod domini Iesu discipulum decet, est, vt alios etiam doceat, ad Christum pertrahat, si non verbis, tantum factis, vitæq; piæ exemplo. Nam Deus de proximi cura præcepit, tum ipse Christus tanta hominibus contulit suæ gratiæ dona, vt nos ea faciamus proximis simul & nobis salutaria, communicemus inter fratres, quousque succrescamus omnes in virum perfectum in Christo. Horum ergo in Mathia exemplum habemus propositum. Hic eiusmodi Christi fuit discipulus, agnouit Christum, sequutus est Christum, alios etiam verbo, exemplo, doctrina & vita ad Christum pertraxit. Sed Mathias non solum discipulus, verum etiam Apostolus Christi fuit. At hic rursus duo consideranda nobis sunt: Primo, quod non ab homine sed à Deo in Apostolatam vocatus & selectus est.

Petrus quidem curat negotium sedulo, conuocat credentium multitudinem, admonet Iudæ præuaricationis miserrimæ, quod desciscens ab Apostolis, cum Christi hostibus fœdus inierit, factus dux eorum qui comprehenderunt Iesum, at demum infelicitissima morte perierit: sed tamen addit hæc omnia olim per prophetam Dauid vaticinata esse: nec id solum, sed etiam quod alius proditoris locum & Apostolatū accepturus esset. Hortatur ergo omnes, vt aliquos ex omnibus, quos dignos huic muneri, de quo præuaricator exciderat, arbitrentur, in medium statuerent.

Sed eiusmodi volebat Petrus, vt supra etiam me dixisse memini, qui ab initio cum Christo. ad finem vsque perseverasset, vt eo melius & rectius de Christo testificari possit. Tantum ergo Petrus in hoc confecit negotio, non pro suo capto quem eligere volebat, tum nec alij id audebant: duos quidem quos omnium iudicia ad hoc idoneos iudicabant, in medium adducunt & statuunt: sed neutrum edicebant Apostolum, soli Deo relinquentes iudicium. Tu Dñe, inquit os eorum, qui corda nostri omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipe-

Act. 1.

Psal. 107.

accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Hac præmissa oratione miserunt sortes super eos, certi hunc velit Deus, quem fors missa tangeret: & cecidit fors super Mathiam, qui ab illa hora vndecim annumerabatur, vt quem Deus certo in Apostolatū elegisset. Vnde etiam hic ipse Mathias verè dicere potuit cum Paulo: Apostolū se Iesū Christi, nō per hominē, neq; ab hominē Gal. 1.
ne, sed per Iesum Christū Deum & patrē huc vocatum.

Hoc ergo primum quod in Mathia considerandum venit. Secundum, quod non solum ab omni hac multitudi-
tudine credentium dignus Apostolatui iudicatur, verum etiam quod Iosepho illo præfertur, qui ab omnibus dicebatur iustus. Id quod peculiaris laus in Mathia est, Ag. 1.
quod non tantum omnibus, sed etiam præcipuo nomine & re iusto præferebatur. Quanquam & aliud quid significatum esse possit per hoc ipsum.

Non enim Deus secundum externum hominem iudicat, vt solent homines. Non sunt illius cogitationes, Ioan. 8.
dicat, vt solent homines. Non sunt illius cogitationes, Isai. 55.
hominum opiniones: sed quod mundus quasi ignobile arbitrat, Deus eligit, & confundit quæ coram illo for-
tia sunt. Ad hæc vtriusque nomen suam propriam habet significationem. Mathias enim quasi donum Dei
est: hic ergo merito præfertur illi, qui ab hominibus reputatur iustus. Qui enim Dei gratiam & dona agnoscit
& confiteretur, Apostolica functione dignus. Neq; tamen Mathias de hoc superbiebat, quod præferebatur iusto:
Tum nec indignatur Iustus, quod electus non sit. Vterque enim Dei voluntatem nouerat.

Quæ omnia in admirationem inducent nos, deinde etiam ad Dei laudem accendent, vt simul dicamus ex Euangelio hodierno cum Christo: Confiteor tibi pater,
domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus Matt. 11.
& prudentibus & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Secundò, etiam ad peculiarem amorem & affectum incitabimur erga Mathiam, si in eum oculos & cogitationem, non vt in discipulum solum, sed vt in Apostolum etiam direxerimus. Id quod multo magis est, quàm solū discipulū esse Christi. Fuerūt quidē Apostoli dñi homines, non ex omni parte beati,

- Mat. 8. & quemadmodū in Euangelijis videre est, sed priusquā in
20. Apostolico munere essent cōfirmati. Sed postea etiā p^l
Acto. 5. Deo magis obedire quā hominibus: & cū gauderent
quod digni habiti essent, pro nomine Iesū Christi cōtu-
melia affici: hoc enim prāstare humanas vires excellit.
Sunt ergo quantū ad seipsos, homines: quantū ad Dei
dona, plus quā homines. Et hoc quidē virunq; in illis
cogitandū est. Eo modo enim perspicuū fiet, quid nos
Rom. 13. erga eos deceat. Paulus enī dicit: Cui honorē, honorē.
Sunt igitur gratiæ agendæ Deo, quod sese tam mi-
rabilem in suis exhibet: deinde Apostoli etiā honore
digni sunt, vt Dei amici, quōd sese tam citō, tam perse-
ueranter Deo submiserunt, ac permanserunt. Nihilomi-
nus tamen semper cum Dauide dicendum est: Quis in
Psal. 88. milibus æquabitur domino. Magni quidem Apostoli
sunt, sed ineffabiliter maior est, qui hos sanctificauit &
fecit Apostolos. Non ergo minus gratum erit, quod
Deus per sanctos suos nobis largitur, quā quod per
seipsum donat: ita tamen vt illi omnis tribuatur honos.
Vnde indignum est præscribere Deo metam, & quo-
dammodo cogere illum, vt omnia per semetipsum lar-
giatur sine vllō medio.
Hac indignitate & insolentia inuenias nōnullos qui
Dei volūtatē ex Dei verbo, vel Christi Euāgelio nolint
addiscere quasi necessariō Deus per nouas signifi-
cationes & apparitiones doceat. Eadem contumacia
quidam etiā Sacramenta respuunt, rati cogi Deum
suam gratiam cuilibet nullo medio elargiatur. Sic, in-
quā, inuenias qui nolint per sanctos à Deo porrecta
suscipere, daturus nimirum Deus quasi coactus per sese
sit omnia: cū certū sit, quōd multa iam inde ab origi-
ne per sanctos suos, non modò hic viuos, verum etiā
terra defunctos & dederit & fecerit. Quadmodum in
Helizæo videre est, non modò per viuū adhuc illum
mirabilis, verum etiā per iam defuncti corpus, emor-
tuum hominē resuscitans. Quicquid autem illo tempore
potui Deus, id ipsum poterit & nostro. Contumacia
ergo est Deo præscribere Leges suorū operum, quib⁹
modis largiri & facere debeat omnia. Nobis nullius me
dij

4. Reg. 1.

3. 4. 5. &

6.

4. Reg. 13

dij

dij tenendi cura est: aut enim nimirum in idolatriâ, aut ad indignam declinamus insolentiam. Hoc dignum nobis medium, Deum reuereri vt Deum, Apostolos verò aliosq; sanctos vt seruos, amicos & filios Dei. Et hæc de Apostolica functione Mathiæ dicta sint. Sed quid hinc colligendum sit, quod non solum discipulus & Apostolus, verumetiam martyr Christi fuerit, ob Christi nomē mortem passus sit. Breuiter Paulus docet: Cū tanta septi simus nube testiū, qui per fidē operati sunt magna, magna per fidē perpessi sunt, ideo per tolerantia curram⁹ in proposito nobis certamine, ne fatigemini, animis defecti. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.

Hcb. 12.

Hoc ergo ex tertia hac parte discendum est, nempe tolerantiam in persecutione, cruce, & aduersitate præstare: recogitantes non solum sanctos Dei, sed & Christum ipsum multa magnaq; perpassum, & quod Scriptura tantum ubiq; consolationis porrigat, tum etiā ipsam vitam æternam promittat. Quemadmodum ipse Saluator ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorū. Beati & vos, cū maledixerint vobis homines, propter me. Gaude & exultate, quoniā merces vestra copiosa est in cælis. Hæc igitur hodie cogitemus sedulo, sic non inutiliter hæc festa dies transacta fuerit. Deus Opt. Max. suam nobis elargiatur gratiam, Amen

Mat. 5.

SECUNDVS SERMO,

Docet Euangelij in hanc festam diem vsu.

Salomon ille Sapiēs de seipso loquens testatur seipsum regem in Hierusalem aliquando in animo suo proposuisse, sapienter quærere & inuestigare de omnibus quæ sub sole fiūt, si fortè boni & stabili quid posset inuenire. Sed fatetur nihil esse sub sole firmū, sed vniuersa esse vanitatem, ideoq; in ijs minimè confidendum esse. Neq; etiā propterea Creaturas factas à Deo, vt in eas spem suam poneret homo. Maiora his promittit, nempe quod seipsum nobis daturus sit qui est summū bonū. Et hinc minimè miramur Apostolos nostros tā innumeros alios tā promptè reliquisse & neglexisse omnia, omnē fiducia & spem in vnū posuisse Christū.

Eccle. 1.

In quorum numero non infimus Mathias noster, cui hanc diem festam peragimus. De quo præcedenti sermone dixi, quo modo in Ecclesia nobis proponatur, nè pe discipulus, Apostolus, & martyr Christi: nec subitui, qua via huiusmodi exemplū nostræ utilitati possit inferuire. Id iam rursus hodiernū Euangelium nos docet, nempe vt primū omniū patrem Deum cum Christo confiteamur, qui abscondit hæc à sapientibus, & reuelauit ea paruulis. Postea perferutemur qua via ad nos etiam hanc gratiam inferre possimus. De primo dictum est nunc quod reliquū est audiamus. Hodiernum Euangelium demonstrabit viam, ipsisque adeò postremis illis verbis: vbi Christus ait: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiā vos. His verbis vult, vt se accedamus, Christus, iugum suū in nos suscipiamus, & à se discamus, idque faciētib⁹ promittit requiē animarū, imò ex seipso refectiōē. Et hæc quidē verissima media, quib⁹ cōsequetur gratia. Ea ergo ex ordine audiam⁹.

Et primò quidem, quando certissimus mentis index sermo cuiusque est, quilibet ex primo dicto faciliē intelliget, quæ fuerit in Christo de nostra miseria & egestate condoleſcētia siue cōmiseratio, quæ satis declarauit his verbis: Laboratis, & onerati estis, ita vt ad laborem quæ extrinsecus, ad onus quæ intrinsecus in conscientia nos premunt referantur. Laborare enim in S. Scripturis sæpenumero anxium & solitudine pressum, mœrore affectum esse significat, sicut in Isaia de Christo legimus: Laborauit, id est, tristitia, anxietate pressus est, intellige in passione sua, cum ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Id quod satis in sanguineo sudore, tū etiam in valido illo clamore demonstratū est. Hic ergo labor, de quo Isaia loquebatur. Sic & David de seipso: Laborauit clamans, id est anxius fui.

Matt. 26.
Luc. 22.

Sic ergo per laborem, quicquid extrinsecus premit & grauat, intellige: siue illud paupertas, infirmitas, siue senectus, siue inimicitia, siue persecutio, & mūdi dolus, siue etiā ira, inuidia, auaritia, siue inordinatus amor, vel vlciscendi libido. In summa, quicquid huiusmodi est, hominē extrinsecus grauens, sub hoc laboris vocabulo comprehenditur. At per onus, quicquid conscientia depri-

deprimit, intelligimus. Et hic quidem primum Lex intelligitur, quæ hominum animos grauat maledicto, in non obseruantes legem, edicto.

Deu. 27.

Psal. 37.

Secundo etiam hic peccata intelliguntur, de quibus Dauid, quod sicut graue onus super se grauata sint, conqueritur. Vtroque nos liberare potest Christus & labore & onere, quicquid internè externè grauat. Ideo etiã omnes ad se vocat, excipit neminem, respuit neminem, nulla differentia vel viri vel fœminæ, iuuenis senis, diuitis pauperis, &c. Non est enim acceptatio personarum apud Deum. Venite omnes quotquot qualesue estis, quicquid vos vel in anima vel in corpore grauat: Si sani A cto. 10.

tatem petitis, ad me medicum properate.

Atq; hoc dicto omnem à nobis pusillanimitatem adimit. Quia enim paulò antè dixerat: Omnia mihi tradita sunt à patre meo: timere sibi quis à tanta maiestate potuisset, & humanum quid cogitare, fore eum mundi huius Matt. 11.

potestatis similem, quæ potentia turgida, neminè deterioris fortis agnoscunt. Non ea mihi mens est, inquit Christus: Omnes ad me venite: quam acceptam à patre potestatem possideo, commodis non incommo-

dis vestris seruiet. Quo enim maiora à patre accepi, eo plus prodesse vobis potis sum.

Iob. 14.

Deinde etiam ideo omnes ad se vocat, quod nemo mortalium quin aliquo prematur grauamine. Homo enim, inquit Iob, natus de muliere, breui viuens tempo-

re, repletur multis miserijs. Pressi ergo omnes & egen-

tes, auxilium desideratur ab omnibus, ergo igitur Christus dicit: Venite ad me omnes.

Sit igitur hoc primū quod ex Christi verbis colligi-

mus. Nō tamen hoc satis, nec in hoc sistit pedē Chri-

stus: addit insuper, Tollite iugum meum super vos: per

iugum quo boues colligantur, seruitutē scriptura intel-

ligit. Sic enim ad Israëlēm Moses: Si nō feceris quæ feri

Deu. 28.

pta sunt in lege hac, imponet tibi dominus iugū ferreū.

Aperit deinde quale iugum intellexerit: Inimicis tuis,

inquiens, seruiet. Sic etiã decē tribus Israël ad Roboā: 3. Reg. 12.

Pater tuus graui nos iugo onerauit, hoc est, graui ser-

uitute subegit nos. Sic & Hieremias fore testatur, vt om-

ne regnū collum suū sub iugū regis Babylon incuruet. Hier. 27.

Eo

Eo modo & Christus hic loquitur : Tollite iugum
 meum super vos, seruite mihi, in meam vos seruitutem
 subdite. Me Dominum agnoscite vestrum, suscipite do-
 ctrinam meam, facite quod mando. Et hoc secundum est,
 quod à nobis Christus exigit. Non enim satis est in affli-
 ctione eum querere, nisi etiam sub iugum illius submitta-
 mus nos, si modò requiem animabus nostris petimus.
 Sed ne quis à nomine illo, Iugo, abhorreat: mox addit.
Matt. 11. Iugum meum suauē est, & onus meum leue. Quasi di-
 ceret: Grauis quidem omnis seruitus est, nec minus ho-
 mini contraria, quàm bobus suum iugum est: sed non
 huiusmodi meum iugum, quod omnino leue est. Non est
 ergo quod ab illo abhorreatis. Et quidem dictis his adest
 veritas. Cuicunq; enim creaturæ te seruum dedas, labo-
 ris ubiq; inuenies plurimum, consolationis & vilitatis
 parum. Id ergo non difficile exemplis comprobatur.
 Primum: Quantum laboris, sollicitudinis, nonnunquā
 etiam periculi postuletur, si hominibus inseruias: nulli
 opinor incognitum erit, aliquando frustra, ne dicam, in-
 dignationem mereri quicquid impendas hominibus.
Isa. 30. Communi etenim prouerbio dicitur: Heroēs magna
 polliceri, in paucis stare promissis, quod agas si seruias
 habebis plurimū, mercedis propē nihil. Tum etiam Sa-
 cra scriptura dicit: Aegyptus homo, non Deus est, hoc
 est, potestas mundi vana, incerta & mendax est. Propte-
Psal. 145. rea & David monet: Nolite confidere in Principibus,
 in filiis hominum. Non hic dicā homines, nonnunquam
 etiā, Principes malē pro benefactis respondere, id quod
 plurimis exēplis ex Scripturæ & mundi historijs osten-
 di posset. Sed sit homines agnoscant officia tua, magna
 dictis factis præstent, quid, si cuncta elargiatur, tribuūt?
Isai. 30. Equi eorū, inquit Isaias, caro sunt non spiritus, hoc est,
 auxilia mercesq; eorū parua aut nulla sunt. Quod si tan-
 tum laboris postulatur vt homini in externis famuleris:
 quantum putas requiri, si homini cōtra tuā ipsius con-
 scientiam, hoc est, in huiusmodi rebus obsequaris, quib⁹
 Deū offendas, & conscientia tuā lēdas? Quin nec in ex-
 ternis hoies sæpē nos possunt adiutare, velint licet maxi-
 mē. Quid ergo in ijs quæ spiritus sunt, adiutare & largiri
 possunt? Age ergo, non sine causa Christus clamat: Ve-
 nite

nite

nite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. Nō me-
 um laboriosum iugum est, sed nihil eo minus summum
 fructum adfert: inuenietis requiē animabus vestris, in-
 quit. Ille enim verē tutus & quietus viuit, qui se Domi-
 no tradidit, quemadmodum id Dauid nonagesimo Psal. 90.
 mo latius refert. Sed Christus rex est Dei regni. Quo-
 niam illi Deus omne iudicium dedit, & potestatem om-
 nis carnis, vt in Ioanne: imō etiam omnem potestātē in
 ccelo & in terra. Matth. 21.
Ioan. 5.
Ioan. 17.
Matth. 28

Hinc ergo est, quod Prophetæ tam multa, tam præcla-
 ra de magna pace, securitate, & letitia eorum qui Chri-
 sti regni confortes futuri essent, prædixerunt. De quo le-
 ge Isa. 32. Hier. 33. Mich. 4. Et hæc dicta sint de hominū
 principumque seruitute. Aliud nunc afferamus exemplū
 de peccati seruitute. Nunquid non grauissimum, & pro-
 pē importabile iugum, avaritiæ seruire? Illa eiusmodi
 tyrannus est, vt nunquā sibi subactos permittat quiesce-
 re, semper alia alijs grauiora imponat.

Et quis fructus, si diu avaritiæ famuleris? Nullus om-
 nino. Nam vt dicimus, Nō minor est virtus quā quæ-
 rere parta tueri: sic etiam dicere auis: Nō minōr est la-
 bor, quā quædere parta tueri. Taceo interim quod, Cres-
 scat amor nummi, quantū ipsa pecunia crescit. Non pax,
 nec requies rebus confertur opimis. Contrā autē Chri-
 stus promittit suum iugum suscipientes, inuenturos re-
 quiem animabus nostris. Deo enim seruiens, & hunc si-
 bi vicinum habens, diues satis est, abundat omnibus, e-
 tiam si nihil externum possideat. Inquirentes Dominū,
 inquit Dauid, non deficient omni bono. Id confirman-
 s Paulus, de se alijsque credentibus dicit: Tanquam nihil Psal. 33.
2. Cor. 6.
 habentes, & omnia possidentes: quasi pauperes, multos
 tamen ditantes, puta se sequentes & credentes. Quod au-
 tem de avaris & Mammonæ seruientibus dixi, de ijs in-
 telligi etiā volo, qui vel superbiæ, vel voluptati seruiūt.
 Pluribus & maioribus occupantur oneribus, quā si in
 Dei persisterēt seruitute: nec quicquam mercedis, non-
 nunquam & æternam hinc reportant ignominiam.

Aliud adhuc exemplum videamus de Lege, quæ ipsa
 etiam grauissimum iugum, & eiusmodi planē, vt ipse Pe-
 trus ad fidei confortes diceret: nec se nec patres suos le- Act. 15.
gis

gis iugum potuisse portare. Et cum graue onus lex esset, parum commodi contulit sibi subiectus. At studio dico, sibi subiectis. Nam alioqui seruantibus mandata Dei vitam pollicetur Christus. Magna differentia est, seruare legem, & legi subiectum esse. Seruat Legem, qui sponte & spiritu legem implet: subiectus legi est, qui tædio & nausea, imò solo timore pœnæ, aut spe mercedis vel facit, vel omittit edicta legis. Eiusmodi verò qui seruus tantum est, non venit in consortium hæreditatis cum liberis. Id quod ipse Christus ait: Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet.

Hinc ergo, vt arbitror, quilibet videre potest, omnem seruitutem laboriosam esse, non autem fructiferam, sola Christi seruitute excepta. Propterea dicit, Venite ad me omnes: & Meum iugum super vos tollite, ibi inuenietis requiem animabus vestris. Meum enim iugum suauis est, & onus meum leue. Sed vide quid addat: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc Christi exemplum ante omnia suscipiendum est ad robur fidei nostræ. Quia enim mitis & humilis corde est, audentius timore seposito accedemus eum. Vnde & Zacharias in magnam consolationis argumentum, venturum dicit mansuetum, pauperem, & humilem.

Deinde etiam hoc Christi exemplum sequemur ad imitationem. Mansuetudo enim & humilitas, plurimum ad pacem & quietem faciunt: vnde etiam Christus mox addit, quasi vbi hæc à se didicerimus, inuenturos requiem animabus nostris. Mitis enim mens omnis tranquillitatis fons est: sicut contra animus cõtumax & sœuies fons est omnis perturbationis. Non ergo Christus immerito dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde quasi dicat: Ecce ego dei soboles indubitata, vt ex me facta testantur miracula, vnde meus omnis honos: nec tamè vel honorem, vel rerum copias quero: persisto mansuetus, neminem contemo, vt vt ille humilis & abiectus sit. Adde licet plurimam ignominiam & iniquas contumelias ab hominibus perferam: non tamen malum malo rependo, non talionem reddo, sed omnia iusto committo iudici, qui bonis bona, iniquis reddet pro meritis mala. Huic omnia dedo: hoc solum ago, vt omnibus beneficiam, neminem

1. Pet. 2.

minem ledam. Hæc si vos ex me didiceritis, si in hoc meum exemplum sequuti fueritis, requiem comparabitur animabus vestris. Hæc Christus his verbis exigit: nōpe Deo omnia committamus, omnem curam nostram in illum reijciamus, & cum Paulo per arma iustitiæ à dextra & à sinistra, per honores & opprobria pergamus, ad ea quæ ante nos sunt tantum cogitantes. Hæc facientes requiem animarum nostrarum adepturos. Summa: Si nos Christo in suam seruitutem submiserimus, requiem inueniemus conscientiarum, eius exemplum in mansuetudine & mentis humilitate sequētes, externa etiam magis gaudemus pace. Hic cardo rei vertitur, ut ad exemplum Mathiæ ad CHRISTVM properemus, eius in nos suscipientes iugum, ipsum sequamur. Id ergo in nobis præstet Deus Opt. Max. Amen.

2. Cor. 6.

Phil. 3.

IN DIE ANNUNCIA- TIONIS MARIAE EVAN- gelium Luca. 1.

IN mense autem sexto missus Angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginē desponsatam viro cui nomē Ioseph, de domo Dauid, & nomē virginis Maria. Et ingressus angelus ad eā, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Quæ cū audisset, turbata est in sermone angeli, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria; inuenisti enim gratiam apud Deū. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedē patris eius Dauid, & regnabit in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autē Maria ad angelum: Quomodo fiet istud: quoniam virum nō cognos-

*tu inuenisti gratiam apud Deū
concepisti enim gratiam apud Deū
ecce concipies in utero, & paries filium
vires dñi ut quibz
nisi pnt. l. 1. v.
Lumen qd nō quibz
pnt. v. qd
videt. et. 1.*

cogno-